DECISIO ROTALIS
PRO
PP. AULO ALER
Societatis Jesu.
Contra
D. JOANNEM FORSBACH.
R. P. D.
PRIOLO
Colonienſ. Injuriarum ſuper Negocio principali.

Veneris 5. *Martij* 1706.

COmmiſsâ mihi in devolutivo, Causâ appellationis interpositæ per Joannem Forsbach olim Rectorem Universitatis Colonienſ. *à tribus Sententiis per eum paſſis, & Canonizatis* à Signatura cum clauſula-*ſine præjudicio*-dedi dubium-*An conſtet de re Judicata, ſeù potiùs de cauſis reſtitutionis in integrum*- quod Domini decidere non dubitârunt, reſpondendo -- *conſtare de re Judicata*-- Quià cum præcedentes Sententiæ ſint *validæ, & juſtæ*, nulla proinde adeſt læſio, ſinè qua non conceditur in integrum reſtitutio adverſus rem Judicatam ex notiſſimis Juribus.

Validitas ampliùs non impugnabatur, & Juſtitia apertè reſultabat ex fundamentis deductis in duabus Deciſionibus hujus cauſæ; altera nempe diei primæ Junij 1703, coram R. P. D. meo Caſſarello, altera verò diei 6. Junij 1704. coram R. P. D. meo Scotto editis in duabus poſterioribus Inſtantiis, in quibus *ſatis probatæ, ac demonſtratæ fuerunt Injuriæ illatæ* Patri Aler Soc. Jeſu per dictum Rectorem Universitatis, *tam ſuper*

D. Forsbach à tertiâ conformi appellavit, & petiit reſtitutionem in integrum, ſed iterum ſuccubuit, emanato reſponſo! conſtare de re judicata quia tres conformes fuerunt validæ, & juſtæ. Validitatē non ampliùs impugnabat D. Forsbach; Iuſtitia conſtabat ex Deciſionibus prævis, in quibus demonſtratæ manebant graves injuriæ Patri Aler ab eo-

dem D. Forsbach illata tum per combustionē libelli, tum per deletionem ex Matriculâ Vniversitatis.

COMBUSTIONE LIBELLI eidem præsentati à præfato Religioso cum *subsecuta solemni distributione pagellarum semicombustarum in majus vilipendium dicti Religiosi*, quàm *SUPER EXPUNCTIONE* ejusdem Patris Aler à Matricula Universitatis, adeò *ut Jure merito opus fuerit ILLIUS FAMÆ CONSULERE, tollendo de medio TAM GRAVES INJURIAS per authoritatem Judicis, & hujus Sac. Tribunalis.*

Objectio 1. D Forsbach, quod libellus Patris Aler fuerit impressus contra edictum suum, duplici responsione refellitur.

Non suffragante quod libellus, utpote impressus contra formam edicti, præcedenter publicati à Rectore Universitatis, jure quidem merito potuerit igni demandari: *Duplex enim occurrit responsio comprobata in dictis Decisionibus*; altera scilicet quod edictum loquitur de *libellis famosis, & satyricis*, ut liquet ex illius procemio, & clariùs etiam ex parte dispositiva ibi. *Ullas Schedulas, vel Libellos, qui à famosis nonnunquam vix distant, scribere, scriptos prælo mandare &c. De Libello* autem *combusto non docetur, quòd fuerit satyricus, & sic de genere prohibitorum*; altera verò quòd in edicto non continebatur tam *gravis pœna combustionis, & solemnitatis in ea publicanda CUM TANTO DEDECORE AUTHORIS*, prout actum fuit. Ideóque Rector *NEC POTERAT, NEC DEBEBAT* ad hujusmodi actus devenire *citra labem notabilis ac replicati gravaminis* illati Patri Aler.

Objectio 2. D Forsbach, quòd P. Aler præsentando eidem libellum, deliquerit, meritò explo-ditur.

Nec merebatur attendi, quòd ipsa libelli præsentatio importet novum delictum, tamquam facta in contumeliam Superioris, ideóque ratione dicti novi delicti licuerit Rectori coërcere contumaciam Patris Aler per novam, ac distinctam pœnam combustionis libelli.

Siquidem hæc subtilis interpretatio hodie de novo excitata, & acriter promota *visa fuit omnino insubsistens*, non solùm ex generali Juris regulâ, quòd semper sumenda est interpretatio pro exclusione delicti, ad *Text in L. merito ff. pro Soc. Rot. Decis. 302. numer. 10. & 11. part. 19. recent.* & alibi passim, sed etiam ex peculiaribus facti circumstantiis elicitis, tam ex qualitate personæ, & loci, quàm ex modo, & formâ adhibitis in præsentando librum; nam imperceptibile videbatur, quòd Sacerdos, ac Religiosus Soc. Jesu habuerit animum irridendi, ac injuriandi moderatorem totius Universitatis *in ipsamet domo Rectoris*, & *per verba prorsus modesta, atque per expressiones omnino reverentes*, quæ circumstantiæ exclusionem delicti undequaquam præseferunt, ùt consideranti patet.

Objectio 3. D. Forsbach, quòd ipse libellum exus-

Similiter nec salvari poterat combustio libelli *A MANIFESTA INJUSTITIA*, sub *inani pratextu* aliàs deducto correctionis domesticæ: Quippe cùm combustio sequuta fuerit coram pluribus personis, & pagel-

lz

læ semiustæ per famulum Rectoris fuerint delatæ ad Scholas, & Scholares cum omnimoda publicitate, utique denominari nunquam potest domestica correctio, *sed verè fuit NOTABILIS, & PUBLICA INJURIA, ad quem effectum sufficit publicatio etiam coram unica persona*, ut post *Peguer. & Raiinald. concluditur in d. decis. R. P. D. mei Scotti §. Absque eo quod*; Tantoque magis, quia cum in edicto contineretur pœna exmatriculationis, nequibat sanè Rector *absque notâ MAXIMI EXCESSUS proprio Marte novam hanc pœnam, & ADEO GRAVEM superimponere sub titulo domestica correctionis.*

NULLATENUS ATTENTA FIDE extrajudiciali nuper exhibitâ *in Sum-Rectoris num. 8.* in qua quinque Professores Sac. Theologiæ d. Universitatis testantur, inter ipsos-- Nulla unquam fragmenta libelli combusti ab aliquo in Aula Theologica distributa fuisse; siquidem talis fides *OMNINO IRRELEVANS* visa fuit ex pluribus: Et primò, *quia lite pendente expiscata*: secundò, *quia negativam non coarctat*, Tertiò, *quia exhibetur post rem Judicatam*; quartò demum, *quia de contrario constat ex probationibus ab initio editis, & usque adhuc non impugnatis*, quæ proinde in omnem eventum essent præferendæ.

INJUSTA quoque fuit *expunctio* Patris Aler à Matricula, *quamvis talis pœna comminata legatur in edicto*: Quia cùm Pater Aler *post passam INJURIAM combustionis libri suspectum jure merito allegaverit Rectorem, & appellationem ab injusto gravamine interposuerit*, exinde *cessavit Jurisdictio Rectoris*, qui idcirco non poterat ulteriùs ad exmatriculationem procedere *absque evidenti nullitate, ac injustitia*, ùt in his præcisis terminis probat *Mend. de Jur. Acad. lib. 1. numer. 551. & advertunt Decis. hujus Causæ, illa nimirum R. P. D. mei Caffarelli sub § Et quoad expunctionem cum seqq. & altera R. P. D. mei Scotti sub §. quo dato, & seq.*

Neque obstat repetitum objectum, quod scilicet Rector processerit tanquam merus executor, ideoque non potuerit utì suspectus recusari; Etenim *neque in facto, neq; in Jure subsistit.* Non *in facto*, quia Rector non fuit contentus solis citationibus, quæ forsan essent conciliabiles cum executione mera; sed processit per viam sententiæ Definitivæ appellabilis, & appellatæ, quæ congruere nequit processui extra judiciali, ac meræ executioni ex juribus allegatis in fine d. Decisionis R. P. D. mei Scotti; unde *non est cur hodie* in devolutivo, & *POST REM JUDICATAM possit amplius de hac veritate dubitari.* Signanter, quia totus tenor sententiæ Rectoris versatur circa contumaciam Patris Aler comparere

serit pœnam correctionis domestica velut inanis pretextus rejicitur, & probatur, quòd exustio illa fuerit notabilis & publica injuria.

Attestatio quinq; Doctorum Theologia pro D. Forsbach exhibita, & quæ infrà legi potest integra, nullatenus attenditur, & ex quatuor capitibus rejicitur.

Injustam quoque expunctionem fuisse probatur efficaciter.

Ostenditur, objectum D. Forsbach, quòd ipse in expunctione ex matricula processerit ùt merus executor, neque in facto, neque in jure subsistere.

recu-

recusantis, *nullâ habitâ mentione edicti*, & pœnæ ibidem contentæ *Summar. Patris Aler exhibito cor. R. P. D. meo Caffarello nu.* 12. Quo circa *impossibile redditur, quòd processerit uti merus Executor.* Minusque *in jure*, quia merus Executor, *concurrente legitima causâ suspicionis, de qua in præsenti AMBIGI NEQUIT*, ex supra deductis, *recusari valuit, uti suspectus*, ut benè declarat, & de praxi testatur *Corrad. in praxi dispens. lib. 7. cap. 4 num. 25 vers.* item quando Ordinarius est suspectus, *Ros de Execut. litt. Apost. cap. 10. sub num.* 18. præsertim quia Rector *VALDE EXCESSERAT* modum in corrigendo, ut pluribus cumulatis comprobat *Decisio R. P. D. mei Scotti §. Nec relevare.*

Objectio D. Forsbach, quòd P. Aler edicto contravenerit, ùt impertinens, & indigna responso contemnitur.

Denique ad ea quæ subjiciebantur à scribentibus pro Rectore, nimirum quòd cum in præsenti constet de contraventione edicti, debeat S. Rota declarare, Patrem Aler fuisse incursum in pœnas ibidem comminatas, *OPUS NON FUIT respondere, cùm non cadant sub præsenti inspectione*, in qua *tantùm agitur de COMBUSTIONE, atquè EXPUNCTIONE, INJUSTE*, ùt suprà, *per Rectorem demandata*; sed erit in facultate Collitigantium de hoc agere in suo particulari Judicio.

Et ita, levioribus omissis, responsum fuit utrâque &c.

ROMÆ Typis Reu. Cam. Apost. 1706. *Sup. Permissu.*

Attestatio quinque Professorum Theologiæ.

NOs infrà scripti in Almâ Univers. Colon. SS. Theol. DD. & Professores in hebdomadariis disputationibus, & congregationibus in Aulâ nostrâ Theol. ordinariè præsentes &c. per præsentes testamur, inter nos nulla unquam fragmenta libelli à D. Joan. Forsbach combusti ab aliquo in Aulâ nostrâ Theolog. distributa fuisse. In cujus fidem hasce manibus nostris propriis subscriptas dedimus. Coloniæ Anno 1705. *die* 18. *Decemb.* Cornel. Brewer SS. Theol. D. & Ordinarius Professor m.p. F. Reinerus Bourscheidt Theol. D. Ordinarius & publicus Professor. F. Nicolaus Gircken Ord. S. Aug. Ss. Theol. D. & Prof Ordin. provinciæ Colon. p. t. Provinc. m.p. F Anno Schnorrenberg. Ss. Theol. D. & Prof. publicus Collegii Norbertini Præses m.p. F. Bruno Schmits Ss. Theol. D. & Prof. Ord.

Hæc Attestatio meretur suas elucidationes, quas dabimus proximè. Unum hîc advertimus, quatuor Professores ultimos etiam non adfuisse, quando libellus fuit exustus à D. Forsbach, & tamen hoc ipsum testantur, idque ad confusionem Domini Forsbach, qui constantissimè in toto cursu judicii negavit, à se factam fuisse libelli exustionem.